



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 9. Ignem quoque fulmineum sæpe magis esse ad splendorem, &
authoritatem, quàm in damnum cadere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

tanquam heroicorum Martyrum Christi, Festum 7. Februarij die, Ecclesia celebrat. Sic ignis, vel holocausto, vel miraculo laudat Conditorem. Holocaustum etiam fuit D. Laurentius, D. Pionius, & quotquot, per flammam, ad caeleste refrigerium, transierunt. Miraculum fuit Lot, è sulphureo Sodomæ incendio, eductus; & Abraham, quem Hebraei tradunt, quia ignem, quem Chaldaei colunt, adorare noluerit, in ignem missum, à Deo liberatum. Vnde & in itinera-rio Romano, dicitur, *de vr Chaldaeorum*, hoc est, de igne eductus; & probatus sicut igne probatur argentum.

Gen. 19.

Vives in lib. 19. de Ciuit. ca. 15. Pro- uerb. 17. 3.

§. IX.

Ignem quoque fulmineum saepe magis esse ad- splendorem, & auctoritatem, quam in damnum cadere.

Ne autem fulmineam quis flammam magis indomitam esse existimet; est ea itidem à Deo nonnunquam colibita, ne sauiet.

Mithridates Rex Asiae & Ponti, cum adhuc infantulus in cunis vagiret, collapsum fulmen fascias, quibus inuolutus erat, exussit, neq; ta- men, ipsum lesit, vestigium modò quoddam ignis in fronte relictum est, quod facile occultaret co- ma. Rursus, cum iam vir esset, ita propinquum

Muret. li. 1. var. hist. cap. 1.

ei dormienti cecidit, ut tela in pharetra, quæ haud procul a lecto pendeat, condita conflagravit; ipse quoque tum intactus. Aiunt & Aquilam à fulmine non afflari, unde & armigera Iouis, & sacra esse fingitur. Cæterum ignem ipsum, velut *diuinum*, & verè mirandum Homerus nominat. Moyfi quoque; *apparuit Dominus, in flamma ignis, de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Ita DEI dignitatem, splendorem, maiestatem agnouit. Sicut etiam, quando legem in monte, accepit: & sicut agnoscent, sub nouissimū diem, homines, quando, de eadē lege seruata, aut violata iudicabuntur.

Homer.
Iliad. 11.
13. 15. & 20.
Exod. 3. 2.

Pf. 96. 3.
Macar.
homil. 12.

Tūc enim *ignis ante ipsū procedet.* Certè Macarius affirmat, homines, naturali ratione, Deum esse, nosse ex fulmine & fulgure: estque; ibi clarissima potentia, & potentissima claritas, quæ diuinum quid profitentur; iubat quoddam, vnà cum sonitu, tanquam diuinitatis radios, quæquæ diffundentes. Sic, apud poëtā, describitur Sol, qui Phaëthonem allocuturus *circum caput omne micantes Deposuit radios, propiusque; accedere insit, procul consistentem. Neque enim propiora ferebat Lumina.*